



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. I. Quid sit dispensatio legis, & quis ejus effectus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

*probationi in genere*, v. g. quòd accusatus sit bonæ famæ, &c.

1096. Not. 2. eandem regulam limitati, ut non procedat. 1. Quando genus, & species se invicem compatiuntur; Bartolus L. *Servo*, ff. de *peculio leg.* Ratio est ex num. 1092. 2. Quando genus, & species apponuntur favore ejusdem personæ; Tuschus *cit. conclus.* 36. n. 79. 3. Quando species præcisè accedit generi. Nam prorogato genere prorogatur species; Tuschus *cit. n.* 80. 4. In jurisdictionibus, quia si datur in genere, & in specie, potius concessa censentur cumulativè, quàm derogativè; ita Tuschus *cit. n.* 102. 5. In generalibus literis gratiæ ad beneficia. Nam his non derogatur per speciales posteriores, quando per generales est jus quæsitum; secus si effectus penderet ab eventu incerto; ita Tuschus *cit. n.* 101. 6. In diversis dispositionibus diverso tempore factis; vel quando specialis provisio ad diversum tendit finem, Barbosa *cit. limitat* 8. 7. In privilegijs; quia per privilegium speciale non derogatur generali; intellige in totum, & nulla facta mentione privilegij generalis; ita Sylvest. in *Summa V. privilegium* q. 10. ex c. *dudum*, §. *nos igitur*, & c. *quamvis tibi*, de *prebend. in 6.*

## ARTICULUS XVII.

## De activa dispensatione legis.

1097. **P**Otiorem hujus materiæ partem dedimus l. 4. *decret. q. ult. p. 2.* ubi actum est de dispensationibus in impedimentis canonicis conjugiorum. Unde in præsentia ea duntaxat insinuabimus, quæ inibi jam tradita sunt, exposituri reliqua ibidem prætermittam; est autem hæc quæstio, penes quem sit potestas dispensandi in lege, vel jure, proprio, vel alieno?

## §. I.

Quid sit dispensatio legis, & quis ejus effectus?

1098. **D**ispensatio, prout hæc accipitur, est *juris alicujus relaxatio*, seu alicujus exemptio à legis obligatione, ut colligitur ex c. *de multa*, c. *Si qui*, l. q. 7. & ideo Tom. I.

vocatur *moderatio canonum*, c. *Ipsa pietas*, §. *si inquirat*, 23. q. 4. Ex quo sequitur, *dispensare* hic idem esse, ac *aliquem solvere ab obligatione legis, seu juris*. Et quia fieri potest, quòd quis solvatur ab obligatione juris etiam municipalis, dispensatio non bene restringitur, ut sit solum *relaxatio juris communis*, de quo plura l. 4. *decretal. à n.* 2010.

Effectus autem dispensationis est, ut, quod de jure est illicitum, dispensatione fiat licitum. Hinc dispensatus in aliqua juris inhabilitate, fit habilis, æquè ac habilis naturaliter, seu habilis de jure communi. Nam fictio juris tantum operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero, L. *Filio*, ff. de *lib. & Posthum.* & factum *civiliter* eundem habet effectum, quem factum *naturaliter*, L. *sen*, ff. *mandat.* L. *Si mater*, C. de *justit.* Qualiter autem dispensatio differat à privilegio, legis interpretatione, irritatione, abrogatione, ac derogatione, diximus l. 4. à n. 2012.

Præter hæc not. 1. aliud esse dispensare *in lege propria*; aliud, *in voto, & juramento*. Nam dispensatio in votis aut juramenti nec validè fieri potest sine justa causa; secus dispensatio in lege propria, ut dicemus n. 1127. deinde in lege propria dispensat Pontifex nomine suo; in votis nomine Christi, cujus vices agit, ut sentiunt complures; esto aliàs non sit dispensatio, saltem directa in jure divino, sed directam tantum interpretatione, vel subtractione materiæ, ut alibi diximus. 3. votum etiam voventis autoritate commutari potest, si priori materiæ substituatur aliam meliorem in ordine ad Dei cultum, & animæ suæ salutem; subditus autem legem commutare nequit.

## §. II.

An in jus naturale, & divinum cadere possit dispensatio?

1101. **Q**uæstio 1. est, an dispensari possit in *jure naturali divino*? Resp. nullam dispensationem, propriè dictam, posse cadere in jus naturale divinum præceptivum, vel prohibitivum; ita Suarez l. 2. de *legib.* c. 14. n. 5. Nam ea, quæ naturali jure præcepta sunt, habent conformitatem; & quæ prohibita, difformitatem *necessariam cum recta ratione*; ergo sub ijs circum-

Ii 2

stantijs,